

offensæ tenebrarum latebras undiquè pe-
 tunt: alii quorum melior sententia menti,
 conciones sacras frequentabant, & de reli-
 gione rectius eruditi, damnatâ atque dele-
 ctâ ex viâ priore omni barbarie & impieta-
 te, ultrò sacra Pontificia dimittebant, & ad
 præconium verbi divini in agris & oppidis
 faciendum adhibebantur. Quatuor erant
 in Paulinis ædibus adhuc reliqui sodales,
 qui ordinis & loci hujus pertæsi, vitæquè
 certum subsidium pacti, sedem illam vacu-
 am relinquebant. Eam paulò post Mau-
 ricius Dux Academiae propriam dicavit, ut
 Collegii deinceps Theologici & philoso-
 phici jure censeretur, plurimum ad hanc
 rem connitente Casparo Bornero Theolo-
 go pio & erudito. Patria is Haynensis e-
 rat, & ludum aliquot annis ad D. Thomam
 Lipsiæ aperuerat, vir acri ingenio, cui ad
 excitanda studia atque mores juventutis
 formandos gravitatem quandam natura
 tribuerat. Ea ille adjecta etiam imperii
 severitate ità utebatur, ut discipulos quo-
 que ferociores sola reverentia & metus ma-
 gistri in officio contineret. Cumque antè
 paulò, quàm ad normam doctrinæ cœlestis
 administratio Lipsiensis Ecclesiae reduce-
 retur,